



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-601380-p0001-5

DFG

B. 1186





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-601380-p0003-6

DFG

6. 1-2 1662
33.

1

GEORGII SOHNII, SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS,

Oratio historica,

ad Viteb
No III.

De Fundatione & Conseruatione LAUDATISSIMA
ACADEMIAE HEIDELBERGENSIS,

Nunc primum publicis typis descripta.



HANOVIA.

Typis Wechelianis, Apud Claudium Marnium &
hæredes Iohannis Aubrii.

MDC VII

2

MAGNIFICO, REVERENDIS. CONSULTISSIMIS, PERITISSIMIS, DOCTISSIMIS VIRIS, FLORENTISSIMAE ACADEMIAE HEIDELBERGENSIS.

THEOLOGIS:

- D. QVIRINO REUTERO, Rectori.
D. DAVIDI PAREO, Professori primario.
D. BARTHOLOMÆO COPPENIO.

IVRECONSULTIS.

- D. DIONYSIO GODOFREDO.
D. PHILIPPO HOFMANNO.
D. DANIELI NEBELIO.
D. IOHANNI CALVINO.

MEDICIS

- D. LUDOVICO GRAVIO.
D. HENRICO SMETIO.
D. IOHANNI LVTZIO.

PHILOSOPHIS.

- D. SIMONI STENIO.
D. IACOBO CHRISTMANNO.
D. ÆMILIO PORTO.
D. WOLGANGO LOSSIO.
D. SIMONI PETISCO.
D. REINERO BACHOTIO.
D. IOHANNI BAUMBACHIO.

Dominis Mæcenatibus, patronis, & præceptoribus
suis D. D. C.

REINHARDVS SOHNIVS.



O R A

66 1166



ORATIO.



LLVSTRISSIMI PRINCIPES Gene-
rosi Comites & Barones, cæteriq; viri
nobilissimi, amplissimi, clarissimi, & lu-
uenes studiosi.

Vt, qui magno beneficio à rege ali-
quo terreno & mortali affecti sunt, in
id sedulo incumbunt, se gratos vt vi-
cissim declarent: Ita nos omnes Dei immortalis in nos be-
neficia. quæ mortalium hominum beneficentiam, imo
omnem humanam cogitationem, nedum orationem lon-
ge superant, agnoscere & prædicare decet. Nam & hoc fi-
ne nobis sua bona largitur Deus tanquam benignus pater,
vt nos vicissim obstrictos habeat, & hanc à nobis gratitu-
dinem Dominus omnino postulat: Sed quia facilis est ac-
ceptorum beneficiorū obliuio, vt eorum memoriam con-
seruaret, externis ceremoniis tanquam adminiculis & sti-
mulis interdū vti ad nos excitandos voluit. Ac vt alia nunc
taceam, quæ iam olim in veteri Testamēto sauxit: annum
Iubileum an non ideo instituit, vt liberationis ex Ægypto
& illius temporis memoria conseruaretur. neue terræ par-
titio sub Iosua facta intercideret? Erat is annus quinquage-
simus quisq; ab eo tempore, quo terram Chanaan Israelitę
fuerant ingressi: sic dictus ab Hebraeo Iobel, buccinæ so-
no quod tunc cornu arietis clangerent, & hoc clangore
Iubileū annū in tota terra ediceret. Spectabatur autem in
tribus istis rebus, in restituta libertate, in nominum ac de-
bitorum remissione, deniq; in reditu ad gentilitatem &
pristinas possessiones. Nam manumiæcebantur & liberta-
tem recuperabant serui: liberum redditum habebant ad a-
uitas possessiones, qui necessitate coacti eas vendiderant,

& sine preciores venditas ad te retrahabant, atq; adeo singulæ tribus ad primam sortem reducebantur: deniq; quicquid frumenti ac vini terra sponte sua ferebat, id omne commune erat, vt & septimo quoque anno. Itaque captiuis, seruis, ancillis libertas; debitoribus & fundorum venditoribus remissio; pauperibus omnium quæ sponte sua nascerentur, commuuis usus fructus denunciabatur.

*I. 67.
Luc. 4.*

Quod ita sapientissime Deus instituit, ne exaurirentur familiæ aut ex possessionibus suis prorsus eiicerentur, sed vt ad primam illam sortem reuocatæ, liberationis illius ex Ægypto, & introductionis in terram Chanaan recordarentur, & se Deo liberatori ac benefactori totos addicerent. Non solum autem corporalis liberatio per Mosen facta, sed etiam spiritualis illa per Christum facienda, & remissio pecatorum ac redditus ad possessionem bonorum cœlestium, vnde excideramus, id est, Iubileus ille, quem Christus è mortuis ad dextram Dei electus sanciuit, & per Apostolos in omnes nationes diuulgauit, significabatur. De quo his verbis apud Esaiam Prophetam & Lucam dicitur: Ut denunciarem captiuis libertatem, misit me &c. Qui Iubileus non, vt Mosaicus ille, in angustiis Chanaanæ buccinarum arietinarum sonitu, sed tubarum Euangelicarum clangore, id est voce Apostolorum in toto terrarum orbe edictus fuit. Nec habuit vt Mosaicus ille, interualla, sed ad profanationem spiritualem templi ac loci sancti, sub Antichristo factam, duravit in ministerio verbi & sacramentorum: atq; etiam num in reformatis Ecclesiis durat. Huius Iubilei initium, vt Mosaici finis atq; complementum, fuit anno ætatis Christi 30.

Nam hoc anno Christi, viginti nouem quinquagenarii id est Iubilei, & anni 49 ab introitu Israelitarū in terram chanaan clapsi erant. Quo quidem tempore buccinis clangoribus significandum erat, sequentem annum fore Iubileū.

Sed

ORATIO.

5

Sed christus hic, vt prædicationis Euāgelii, ita Iubilei Chri-
stiani initium fecit : nec postea Iubileus Mosaicus ullus
fuit. Nam sub tempore sequentis Iubilei, qui tricesimus pri-
mus esse debuerat, Respublica Iudæorum vna cum vrbe
& templo in cineribus iacebat, populusque per totum or-
bem terrarum miserrime dispersus erat : duravitq; haec e-
nus dispersio & captiuitas, ita vt iudæi iam Computum Iu-
bilei plane amiserint, ac nullum se nunc iubileum compu-
tare posse dicant.

Iubileum illum postea κανοθηλία quadam imitari voluit
pastor ille stultus Papa Romanus: sed Iubileum futilem, i-
nanem, & commentitium, qui neq; Leuiticus est, neque
Christianus, vt facile demonstrari possit, perniciose con-
scientiarum ludibrio, & veri Iubilei opprobrio excogitauit
& introduxit.

Ac primus omnium hunc instituit anno Christi 1300 Bo-
nifacius VIII, qui sicut fertur, intravit vt vulpes, regnauit
vt leo, mortuus est vt canis, & centesimo quoq; anno re-
nouari ac celebrari iussit, & illis, qui Romam venirent, &
suas ibi preces ad Diui Petri atq; Pauli sepulchra effunde-
rent, peccatorum omnium plenam remissionem, & in-
dulgentias, vt loquuntur, promisit. Ab eius morte cum ni-
mis longum hoc esse temporis interuallum videretur,
Clemens sextus illud restrinxit, quinquagesimo anno iam
instante, & ad annos 50 rededit. Huius etiam exstat edictū
quo mandat Angelis, vt eos, qui peregrinationis huius té-
pore moriuntur, in regnum cœlestē transportent. Sixtus
vero quartus, vt 25 quoq; anno beneficium homini-
bus conferretur, sanxit. Cuius institutum secutus Alexan-
der sextus, anno Christi 1500 cœpit Iubileum non modo
Romæ sed etiam in longinquis prouinciis instituere.
Hoc tempore nos huius Academiæ annum Iubileum, &
quidem quartum Iubileum vocamus. Sed neque Mosaicus

A. 3

ORATIO.

cum illum hic proprie intelligimus, qui aduentu Christi vna cum aliis ceremoniis V. T. abrogatus est. neque Christianum de quo antea diximus, qui communis est omniū Christianorum ac fidelium, spirituq; magis quotidie peragit, quam certa & solenni festiuitate. Multo minus Romanum & pōtificium illum superstitioni & auaritiae sedis Romanæ accommodatum. verum similitudine quadam Iubileum, & nunc quidem quartum Iubileum huius Academiæ vocamus, quia iam anni 200 atque adeo quatuor quinquagenarii sunt, ab eo tempore, quo hæc Academia primum fundata est & instituta, atque eum hoc tempore solenni oratione celebrare, & foundationem huius Academiæ diuturnamque conseruationem memoria colere, & Deo Opt. Max. gratias agere constituimus. Nam vt à Ceremonia illa V. T. liberi simus, nec eam in usum reuocare debeamus, tamē id, quod morale & omniū temporum commune est, vt præstemus æquum videtur, nempe vt originem & progressum huius Academiæ consideremus, & defundata ac tot annis conseruata hac Academia Deo gratias agamus. Et quanquam hoc officium semper Deo debemus, vt accepta beneficia grata memoria recolamus: tamen si hoc tempore præcipue nos ad id exuscitauerimus, nihil alienum facere videbimur. Quam autem vellem, vt alias potius has dicendi partes in se receperisset, qui & otio & dicendi facultate plus quam ego valeret, & mihi auditori potius esse licuisset: sed quid facerem, aliis hanc prouinciam detrectantibus?

Dicam igitur deinceps breuiter, primum quidem de origine & progressu huius Academiæ, atq; adeo de beneficiis in eam à Deo & secundum Deum ab Electoribus Palatinis clementer collatis: deinde gratiarum actionem beneficiis illis debitam instituam. De priore parte ita dicam vt nihil fere nisi quod in Actis huius vniuersitatis continetur

ORATIO.

tur, sim allaturus: In altera parte non triumphabimus qua-
si malis omnibus perfuncti, sed in hoc tam perturbato Ger-
maniæ & vicinarum regionum statu, pro præteritis bene-
ficiis gratias agemus & in posterum ut nobis adsit Deus, &
nos ac scholam nostram clementer protegat, orabimus.
Nam lætitiam mediocrem etiam in tristi rerum statu, &
cum gratiarum actione coniunctam Deus ferre potest &
probat. Vos oro, quotquot adeatis, ut me dicentem beni-
gne & patienter audiatis.

FVNDAVIT hanc Academiam Rupertus, Elector Palati-
nus, Rudolphi Electoris filius quē Rufum vocarunt & Se-
niorem. Qui cum intelligeret, ad Ecclesiam & Rem pub-
constituendam tuendamq; quantum momenti in literis
situm esset: Cum videret studia doctrinarum necessaria
Ecclesiæ & Reipublicæ, in Germania & alibi pene conci-
dere, quod in superstitionibus tuendis, Canonici in luxu
suo explendo occupati essent: Cum denique intelligeret,
curam iuuentutis recte instituendæ, quo ad sapientiam
ac vitutes à teneris assuefiat, non minus quam curam tuen-
dæ amplificandæq; dignitatis, virtute maiorum partæ atq;
conseruatæ, ad se pertinere, nec tam armis, quam sapienti-
bus consiliis gubernatori opus esse: Vniuersale studiū seu
Academiam in sua ditione instituendam esse censuit Atq;
ad eam rem adhibuit consanguineos suos Rupertum A-
dolphi fratris sui iam defuncti filium, qui postea dictus est
Clem, & Rupertum Ruperti illius filium, postea in Regem
Romanorum electum: qui assensum suum facile præbue-
runt. Itaque horum, ut consanguineorum, consensu se fun-
dasse studium Heidelbergense Rupertus Rufus ipse scri-
psit: coque nomine simul hi tres ad Pontificem hanc cau-
sam egerunt, vt literæ testantur lōcum Academiæ delegit
in hoc oppido, quod & ob aeris salubritate n, & ob rerum
ad viætū necessiarum abundantiā maxime commodum.

O R A T I O.

esse videretur. Formam Academiæ talem esse voluit, qualis tunc erat Academiæ Parisiensis, vt hæc illius veluti pedissequa gressus imitaretur, & ad illius plane normam disponeretur & regeretur: atque adeo vt quatuor in ea essent facultates seu collegia seu ordines Doctorum, primus Theologorum, alter Iureconsultorum, tertius Medicorum, quartus Philosophorum: vtq; à Rectorे uno hi omnes gubernarentur: deniq; vt iisdem priuilegiis vterentur fruerentur. Erat tunc Pontifex Romanus urbanus VI, Cuius autoritate, vt mos ferebat illorum temporum, sibi opus esse Rupertus existimans, vt hæc Academia quasi sanciretur, ab eo bullam impetravit: eidemque cum postea successisset Bonifacius IX, eandem confirmauit. Reditus & Salaria Rupertus liberaliter constituit: priuilegia, libertates, & immunitates concessit: viros doctos accessiuit, & quidem de consensu & voluntate Ruperti Iunioris, & Ruperti proiunioris, consanguineorum suorum, de quibus antea dictum est. Cancellarius huius Academiæ constitutus est præpositus Ecclesiæ Wormatiensis: conseruatores iurium & priuilegiorum, libertatum & bonorum huius Academiæ adjuncti quatuor, nempe Decanus Ecclesiæ S. Mariæ in Neustad, Abbas Schonaniensis, Decanus Ecclesiæ S. Trinitatis Spirensis, & Decanus ad S. Viñorem. In his omnibus illud præcipue spectasse scribitur Optimus princeps, vt gloriam Dei, incrementum fidei Christianæ, emolumenrum & utilitatem Palatinatus, & huius oppidi dignitatem promoueret.

Primi lectores extitere, & initium legendi fecere M. Marsilius ab Inghen S. Theologiæ Doctor, quem aetas illa propter opinionem doctrinæ suspiciebat: & M. Heilmannus de Wormatia, in Facultate artium: & M. Reginaldus Monachus Cister.ordinis, Theologiæ Doctor in facultate Theologica anno 1387, 19 octobris. Sed adhuc sine capite

ORATIO.

9

pite & Rector erat noua vniuersitas, donec eodem anno 1387 Nouemb. 17. M. Marsilius Rector crearetur. Itaque hic dies Academiæ quasi natalis est quippe quo primus Rector & quasi caput esse huius Academiæ ante annos 200 cœpit. Hic Marsilius Rector primum creatus, matriculam, postea iterum creatus Sceptrum Academiæ, quo adhuc utimur, fieri curauit Mortuus anno 1396. Aug. 20, & ad D. Petrum sepultus cum annos ferme 9 hic docuisset, & quintum Rector Academiæ fuisset. Cæterum fama de Academia percrebescente, mox concursus studiosorum adolescentū vt ex matricula liquet, factus est, sic ut regnaret tamen aut saltem regnare inciperet Scholastica illa Theologia, nec ad philosophiam & linguam Latinam debitus cultus adhiberetur. Ita autem noua Academia delectatus fuit Rupertus senior, vt eam vocaret dilectam filiam suam, & vt parentes tenerius amare liberos teneriores majoriq; cura complecti solent, ita hunc quasi foetū suum complecteretur.

Mortuus est anno 1390 16 Febr. Eiq; successit Ruper- ^{Rupertus}
tus ille, qui dictus est clem, Adolphi fratris filius. Nec tan- ^{clem.}
tū in Electorali dignitate successit, sed etiā in pietate erga Deum, & amore studioq; erga hanc Academiam. Nam præter ea, quæ vna cū patruo Antecessore suo Academiæ munifice tribuerat, de domib; etiam prospexit professoribus duos etiam Turonenses, alterum in Baccharau, alterum in Keiferswerda concessit: deniq; iuris professoribus ex fisco suo stipendia numerauit. Mortuus est anno Christi 1398 in die Epiphaniæ, ac sepultus in Schonouia ad pedes Adolphi patris sui, humili sepultura. Amantem Dei, beneficum erga pauperes, & munificum erga hanc Academiam fuisse, annales huius Academiæ testantur.

Successorem habuit Rupertum filium, qui cum Ele-
ctoris & Archidapiferi munus in Romano Imperio bien-

B nium

3.
Rupertus
Rex Roma-
norum.



nium aut circiter gessisset, anno 1400. die 21. Augusti ab Archiepiscopis & Sacri Imperii Electoribus, Moguntino, Coloniensi, & Treuirensi Rex Romanorum creatus est, ac sequenti anno coronam regalem coloniæ accepit, regnumque decem annos sapiēter administravit: vir corpore quidem parvus, sed animo magnus, ingenio acris, & Reip. perquam amans & studiosus. In vtraque dignitate Electorali & regia constitutus, singularem erga hanc Academiam amorem studiumque declarauit. Nam paulo antequam Rex crearetur, ius patronatus trium Ecclesiarum Parochialium Academiæ donauit: Rex creatus, duodecim præbendæ vt Academiæ addicerentur, effecit. Pecuniam à se datam, vt indulgentiarum anni Jubilei pontificii, qui tum celebrabatur, ipse capax esset, Academiæ assignauit & in usus eius conuertit. Priuilegia & iura Academiæ non solum ipse confirmauit & sarta testa conseruauit: sed etiam de iisdem defendendis & conseruandis duos filios suos Ludouicum & Iohannem Academiæ solenne iuramentum præstare voluit, Anno Christi 1401. Tanta cura ac solicitudine optimus Rex erga hanc Academiam affiebatur, vt post mortem suam ei etiam prospectum vellet. Intellexit enim, teneram scholam in ista adolescentia vel maxime opus habere tutela atque defensione: intellexit, facili momento inclinaturam & ruituram hanc universitatem, nisi pio studio, cura, & diligentia principum Electorum defendatur. Ac fuit plane tranquillus & florens Academiæ status, dum ipse superstes fuit, uno excepto mense, qui turbulentus & calamitosus extitit. Cum enim anno Christi 1406. 12. Iulii vesperi à cœna duo iuvenes studiosi cum quodam aulico rixati à verbis ad verbera venissent, atque aulicus ille horribilē clamorem sustulisset, factum est, vt aulici & alii, nobiles & ignobiles coirent, & in domum M. Iohannis de Francofordia professoris hostili-

ter

ter impetum facerent cum lanceis, gladiis, securibus, & aliis armis. Gliscente tumultu properatū est ad templum: pulsatæ campanæ, mulierculis adiuuantibus: Mox Sculteto, Regis nomine & autoritate sed efficta imperatum, ut campanæ pulsarentur: pulsatæ iterum & magis quam ante: incitatus & animatus populus, quod Regis mandato id fieri crederet: impetus in domum illam maior factus: portæ oppidi omnes clausæ: clamatum de interficiendis scholasticis & rasis omnibus, & longas tunicas ferentibus. Tumultu & clamore inualescecente aduenit Episcopus Spirensis, & ab oppugnatione domus vt desisteretur, Regis nomine mandauit: sed frustra: ita animi exarserant. Ille, vt innocentes in domo illa seruaret, indictis regis nomine inducitis, per viam posteriorem ingressus est: ibi tum violentius egerunt seditiosi, ostioque anteriore aperto irruerunt. Hic verò clamor & vlulatus: hic cursitatio & fuga, aliis sub scānis, aliis sub lectis se abscondentibus, aliis per fenestram erumpentibus & saltum periculose facientibus, aliis in tectum ascendentibus & in lateribus domus superius se continebant, aut in tegulis hærebant, crudeliter petiti, vel sagittis in eos emissis vel lanceis protensis, vt cadentes exciperentur. Injuriis, truculentia, crudelitati additæ rappinæ, furta, & id genus alia. In hac rerum perturbatione deliberatū in Academia, suspensæ lectiones ordinariæ & extraordinariæ cū aliis actib. scholasticis, & Regiæ Maiestati supplicatum. Rex autem, vbi rem percepit, vehemēter commotus, omnia se nescio facta, & sibi istud seditiosorū hominū facinus omnino displicere, ostendit. Eadēq; hora, clara & expressa voce, omnibus qui yniuersitati subiecti essent, à minimo

ORATIO.

12

usque ad maximum, quoad personas ipsorum & bona, securitatem promisit. Ac mox, tum in aula sua, tum in oppido vicatim per praetoriam equo insidentem, mortis & amissionis bonorum denunciata poena, edixit, ne quis siue nobilis siue ignobilis, siue ciuis siue rusticus, nullum ex membris vniuersitatis offenderet. Postridie misit Consiliarios suos in Monasterium Augustinense, quod nunc Collegium sapientiae dicitur, & conuocatis consilibus & ciuibus huius oppidi, ne quis membra vniuersitatis offenderet, sed singuli potius ea pro virili defendarent & tuerentur, praecepit. Tertia die ipse cum filiis suis & consiliariis in idem Monasterium descendit, & conuocatis iterum consilibus & ciuibus, ne deinceps vniuersitatis & scholasticorum causa campanæ pulsarentur, sub poena mortis & amissionis bonorum edixit, ac simul de tumultu & toto negotio inquisitionem instituit. Denique his & timilibus conuentibus ac deliberationibus habitis, ad vniuersitatem misit Episcopum Wormatiensem & alios qui inter cetera Regis nomine proponerent & monerent. 1. de lectionibus iterum habendis. 2. de modo Concordiae inter vniuersitatem & ciues ineundæ. Quibus vniuersitas habita deliberatione, respondit ita, vt totum negotium ad Regis arbitrium & clementiam referret quippe qui & posset Academiam defendere, & reos ita puniturus esset ut poena aliis in exemplum cederet & Academiam in posterū prouideretur: qui deniq; omnia, quæ ad laudem Dei, ad honorem regium & ad instaurationem atq; incrementum pertinerent, facturus esset. Interea cū rumor spargeretur, iuniores Dominos, filios regis, Ludouicum seniorē, Stephanum, & Ottonem, vna cum matre Regina de vniuersitate minus contentos esse, ex eoq; murmuratio & contētio inter studiosos iuvenes oriretur, Episcopus Wormatiensis Magister Matthæus de Cracovia S. Theologiae professor &

for & regis confessor, atq; alii quidam professores hoc nomine Regem adierūt, omniaq; ei ordine exposuerunt. Tū Rex habita deliberatione, sanxit, vt filii sui & hæredes eorum omnes, vniuersitatem hanc, & eius iura, priuilegia, & immunitates iam concessas & deinceps concedendas pro virili defenderēt: vtq; iidem filii sui accederent vniuersitatē, ac primū excusatione vsl ostēderent, nec voluisse nec velle se vlla in re vniuersitatem vel eius mēbra grauare aut turbare: deinde velle se potius eam pro virili defendere, quemadmodum iuramenti iā ante à se Academiæ præstigi ratio postularet. Id quod postridie ita ab ipsis factum est in domo dicti Episcopi Wormatiensis, præsente vniuersitate & quibusdam nobilibus eius membris nempe præposito de Bonne, cum tribus fratribus Comitibus de Morse, item Margrauio de Baden, & Comite de Lewēstein, & aliis cōpluribus. Hoc est principem esse, aut hoc est patrem esse? si pater fuisset Rupertus, qui magis curare Academiam potuisset? Creuit igitur Academia, hoc tanto patrono freta, & magis ac magis adoleuit, & tū professores docendo tum studiosi iuuenes audiendo dicēdoq; officium sedulo fecerunt. Mortem autem optimus Rex obiit anno 1410, Maii die 18, anno imperii sui 10, in oppido oppenheim; atq; hic in templo ad S. Sanctum à se recens condito est sepultus.

Filios reliquit Ludouicum, Iohannē, Stephanū, & Ottōnem. Ex quibus ei successit Ludouicus, qui senior & Barbatus dictus est: qui, vt, viuo adhuc patre rege iurauerat, de quo supra dictum est, se priuilegiorū Academiæ defensorē fore, ita re ipsa præstitit. Anno 1410 statim voluit de statu huius Academiæ in primis de redditibus siue prouentibus plene cognoscere. Ac de his celsitudini eius, cui fratres aderant Dn. Stephanus & D. Otto, in Cancellaria Rektor cum quibusdam professoribus sigillatim exposuit. In bello, quod aduersus Archiepiscopū Moguntinum, &

B. 3.

4.
Ludouicus
senior fuit
Barbatus.

O R A T I O.

Bernhardum Margrauium Badēsem gessit, ita Academiac prospexit, vt nihilominus florere literarum studia possent. In tumultu grauissimo scholasticorum, qui postea obortus fuit, admodum benignum se & æquum præbuit. Vulneratus erat noctu à ciuibus scholasticus quidam, & quarto die post ex vulnere mortuus. Adiit Electorem de Consilio vniuersitatis Rector via cum Doctoribus & Magistris aliquot, & M. Iohanne de Frācofordia verba faciente, de iustitia administranda eum implorauit. Habita cum Consilariis deliberatione princeps ita respondit, vt se utriusque part certum diem constituere velle diceret. Interea Scholastici magno numero conuenerunt ad S. Petrum, & quibusdam ad senatum vniuersitatis alegatis orarunt, vt apud illust. principem hanc causam ipse ageret, & de administranda iustitia exercendaq; instaret. si secus fieret, se, quotquot conuenissent, ex hoc oppido excessuros, & alio migraturos esse ostenderunt Princeps à senatu Academico hac de re admonitus mox affixis ad portas oppidi literis autores cædis citauit, & constituta die, ipse in curiam huius oppidi descēdit, & in eadem vt adessent Rector & professores iussit. Hic repetitio facta prioris citationis in foro & prætorio, & causa iudicibus commissa: Cumq; emanarent autores cædis, tandem à ditione principis sunt proscripsi. Paulo ante mortem Elector, vt periculis occurreret & pacem stabiliret, testamentum cōdidit anno 1436, in quo Ludouicum filium natu maiorem successorem nominauit, & post obitum suum pro vero Domino haberi, & huic iurare subditos omnes, ac donec ipse ad Remp. capessendam idoneus esset, tutorem eius esse Ottonem fratrē suum voluit. Cuius rei gratia ad vniuersitatem venerunt ab ipso missi Dux Otto frater dux Ludouicus filius natu maior, dominus Wormatiensis & alii, atque vniuersitati diserte de successore nominato exposuerunt: formam etiam iurandi

O R A T I O.

15

randi ipsi tanquam vero Domino prælegerunt: ac principem Seniorem deinceps abdicare se magistratu & vitam contemplatiuam agere velle dixerunt. Nominatim quoque in testamento suo Ludouicus cauit, ut vniuersitatis priuilegia & iura sarta testa conseruarentur, atque ad hoc testamentum seruandum Ottонem fratrem iuramento strinxit. Denique libros suos The. Iur. Med. quos haberet in bibliotheca sua in castro Gettenpuhel vniuersitatil legauit, confessis ea de re literis; & vt post mortem suam in templo ad S. Sanctum reponerentur, voluit. Tanta cura studioque optimus Princeps hanc vniuersitatem est prosecutus. Non multo post, nempe anno 1436 penultima Decembris diem suum obiit, ac postridic sepultus est in choro regali Ecclesiæ ad Sp. Sanctum. Exequiæ ei factæ sunt, præsentibus filiis, & Iohanne atque Ottone fratribus & Domino Wirtenbergensi, & comite de Catzenelnbo- gen, Item Rectore & vniuersitate & aliis multis, Missam pro illorum temporum superstitione cantante Episcopo Wormatiensi, & Decano Spirensi ut Diacono, ac Decano Wormatiensi ut subdiacono ei ministrantibus &c. Principem pium & deuotum fuisse, & ad commodum huius vniuersitatis promouendum Zelum singularem habuisse hunc Ludouicum maiores nostri in Actis vniuersitatis annotarunt.

Ludouico patri mortuo successit Ludouicus filius qui postea Placidus dictus est qui quod adhuc adolescens esset duodecim annorum aut circiter, nec per etatē ipse Remp. administrare posset, Tutore & Maburno, ut loquebatur, versus est, quē pater iā ante nominauerat, Ottone comite Palatino, patruo suo qui annis fere sex negotia ipsius gessit, & tutorio nomine ditionē omnem administravit. Initio tutelæ & administrationis, Rectori & Senatui libros, à Ludo- uico seniore, paulo ante sibi legatos peteti, & vt Academiā

Euit hic Lu-
douicus ille
qui Iohan-
nenem pontifi-
catus abdi-
catum interca-
pit, & tres
annos in ar-
ce Man-
heym. ca-
ptum tenuit

^{s.}
Ludouicus.
Iunior.

Otto Ludo-
nici Tutor.

B 4



O R A T I O.

atque eius priuilegia sibi commendata haberet, missisque aliquibus de hac sua voluntate publice in Vniuersitate testatum faceret oranti, Dux Otto per Episcopum Wormatiensem benigne respondit, se & vigore præstiti Iuramenti ad hoc teneri, quippe qui Testamentum Ludouici fratri, in quo de priuilegiis Academiæ defendendis diserte cautum esset, se seruaturum iurasset: & vltro etiam ad id ipsum propensum & paratum esse: Missurum etiam ad vniuersitatem aliquos, qui de hac sua voluntate vniuersitati publice significantur. Postridieq; Dominum Wormatiensem & alios misit. De libris autem vniuersitati donatis literas eo nomine confectas se inspecturum esse. Sequenti anno factum est, ut libri illi in templo S.S. pro vniuersitate reponerentur. Intericēto tempore, cum iniuriam grauem scholasticis quibusdam intulissent vigiles & alii, & ad oppugnandam bursam concursus factus esset, Administrator primum ostendit vniuersitati se operam daturum, ut tempore tutelæ & administrationis suæ priuilegia sarta teſta conseruentur: deinde in autores pro ratione delicti & pro modo facultatū pœnam statuit. Tutelam etiam deinceps præclare gessit, vsq; ad annum Christi 1442: Quo tempore Ludouicus Iunior annos natus 18 Rempub. administrare & Electoris munere fungi ipse cœpit. Huic facta gratulatione vniuersitas humiliter se commendauit, & vt priuilegia maiorū more confirmaret, rogauit: quod & facturum se literis eo nomine scriptis promisit, & quanto amore studioq; Academiam prosequeretur, multis argumētis ostendit. Primum enim vt vniuersitatis reformatio generalis fieret, & ipsa vniuersitas capita reformationis annotata sibi ostenderet, vehementer cum alias tum anno 1444 desiderauit. ac scripta sunt capita illa de tribus Facultatibus, Theologica, Iuridica, & Philosophica, quæ in 2 Tom. Actorum continētur. Deinde de domo Dionysiana iterū erigēda, & legibus

legibus munienda stabiliendaq; cum Vniuersitate consul-
tauit. Tertio cum eodem anno 1444. aduersus Delphi-
num de domo Franciæ, multa castra & ciuitates in Alsatia
obsidente, bellum susciperet & iam in procinctu esset,
actumultu orto in oppido vigiles vesperi in quosdam stu-
diosos adolescentes impetum fecissent, atque eos graui-
ter vulnerassent: ipse princeps Elector, auditis partibus,
ante sententiæ promulgationem clara voce expressaque
dixit, se priuilegia à maioribus suis Vniuersitati concessa,
sarta te&t;a seruare & defendere velle per se & per suos,
quamdiu viueret. Postea sententiam tulit de vigilibus, qui
cōflictui interfuerint, primum per Scultetum custodien-
dis, deinde pro modo delicti & pro ratione priuilegiorum
huius Academiæ puniendis. Sed non diu frui hoc patro-
no & priuilegiorum defensore Academia potuit. Nam
anno 1449, 13 Augusti Wormatiæ mortuus est, & postri-
die hic in choro regali Ecclesiæ Sp. Sancti sepultus, cum
quadriennio ante vxorem duxisset Margaretam Ducis
Sabaudiæ filiam, atque ex ea filium Philippum pro-
creasset. Exequiæ ei pro illius temporis ratione factæ
sunt ibidem 14. Septembris, præsentibus ducibus Ste-
phano & Ottone patruis, Ruperto fratre, Domino de Wittenberg,
Comite de Catzenelnbogen, & aliis multis, mis-
sam vero cantante Wormatiensi Episcopo.

Successit mortuo Philippus filius vnicus, sed quod
adhuc puer & impubes esset, nec Remp. gubernare posset,
pro ipso Fridericus patruus ipsius, qui Victoriosus postea
dictus est, gubernationem suscepit, & primum vt Tutor,
deinde vt Elector Remp. administravit. Is primum Re-
ctori & senatui, de tutela & administratione gratulanti,
& vt Vniuersitatem sibi commendatam haberet, atque
eius priuilegia, iura, & immunitates more antecessorum
suorum literis ac sigillo confirmaret, roganti, habita deli-

*Fridericus
primus.*

C

O R A T I O.

beratione benigne respondit, & non multo post literas Confirmationis sigillo suo munitas dedit, nempe anno 1450. Deinde anno 1452 ii Sept. cum non amplius tutorio nomine, sed vt dominus terræ huius Reip. administraret, & Senatus & publica oratione per M. Nicolaū de Wachenheim Theol. professorē habita, de priuilegiorum Vniuersitatis solenni confirmatione rogaret. iterum clemēter respōdit per Cancellarium, & se facturū promisit. Eodēq; anno reformationē Vniuersitatis ad eius profectū & incrementum scripsit, scriptamq; omnibus eius membris, ad Cœnobium Augustinense conuocatis, ipse præsens per Cancellariū suū Magistrum Iohannē Guldinkopf proposuit, & vt ab omnib. seruaretur, edixit: si qui parere, aut in reformationē illā cōsentire nollent, eos se nec in vrbe hac laturum, nec redditum eis ad hunc locū, si eo animo exiūf-
sent, concessūrum ostendit. Cui Vniuersitas habita delibe ratione, postea in castro vicissim promisit, se quantum pos set, obtemperaturam esse: Sed si qua esſent per superiorē, nempe Apostolicam autoritatem facienda propter bullas Apostolicas, ea se celsitudini ipsius expedienda humiliter cōmittere, & rogare, vt ipse vniuersitati de his prouidere, dignaretur. Quod responsum princeps clemēter accepit, & vicissim Vniuersitati suū studium & auxiliū promisit, se iura illius & priuilegia defensurum, & quæ ad incrementū eius pertinerēt, more maiorum facturum esse. Cumq; hoc tempore ad expugnandū Castrum Dominorū de Lutzel stētiturus esset, quod ex diuersis regionib. studiosi iuuenes adessent, per Rectorem vniuersitatis Leges pro illo tēpore dari, & vt singuli, quib. Rector præcesset, de non inferendo Principi, aut huic vrbi aut arcī damno, sed potius auerten do, stipulata manu ei promitterent voluit. Aliquot annis post, nēpe anno 1457, vt amorem suū erga vniuersitatem amplius declararet, & cursum studiorum promoueret, Ius
patro-

65

patronatus, quod habuit in duab. Ecclesiis Pfeffingken & Guntheim, Vniuersitati donauit. Eodem anno literas confirmationis pruilegiorum sigillo suo munita Vniuersitati dedit, in quibus pro se & Philippo filio adoptiuo conservationem & protectionem Vniuersitatis prolixe promisit. Anno 1460 mense Februario pro Episcopo Moguntino, Theodorico Eisenburgio, graue bellum gesturus, Academia huius curam minime depositus. Aduersabatur Theodoricus ille, ut aliæ historiæ testantur, iniustis Pontificum exactiōib. quib. prouinciæ prætextu belli Turcici expilabantur, & Pio secundo Pontifici flagitanti, ut se iuramēto, quo successores etiam tenerentur, obstringeret, videlicet quod in reb. imperii nihil nisi de Consilio & voluntate Pōtificis facere vellet, assentiri & parere recusabat. Quare eum ab Episcopatu deiiciens Pius secundus, Adolphum Nassauensem in locum eius cooptauerat & autoritate apostolica confirmauerat. Henburgio autem se adiunxit & sup petias tulit Fridericus, pro sui Iuris, quod se habere dixit, defensione: nihil veritus Anathematis pontificii terriculamēta. Eodem tempore Vdalricus Comes Wirtenbergensis, & Carolus Marchio Badensis, & frater eius Iohānes Episcopus Metensis diffidarunt, vt in Actis loquūtur, id est, bello adorti sunt Ducem Fridericum, quod & iam ante ei infensi essent, & ad eum oppugnandū ab imperatore & Pōtifice instigarentur. Ex quibus omnibus non paruum periculum imminere huic vrbi & vniuersitati videbatur. Sed ita bellum administratum est, vt nec Vniuersitas Friderico belligeranti, nec ipse belligerans Vniuersitati deesset, aut præiudicium atque damnum afferret: Nam primum hoc Fridericus egit, vt Rector ad auertēdam suspicionem & pericula, abire iuberet eos, qui ex aduersæ partis ditione oriundi essent. Deinde vt leges pro tempore, donec belū finiretur, promulgaret, & Vniuersitatē atq; eius mēbra

C 2

omnia iuramento astringeret: de commodo principis promouendo, & damno ab eodem principe & hac vrbe atq; arce auertendo: de defensione, si hæc vrbs obsideretur aut oppugnaretur, ex præscripto Rectoris fideliter præstanta: de non scribendis, atq; alio mittendis literis ad hoc bellū spectantibus: de literis atq; nunciis aliunde allatis, si quid de hoc bello continerent, Rectori patefaciendis: de oppidi & arcis huius munitionibus, præsidiis, armatura, si quis ante finitum bellum hinc discederet, non euulgandis: de illis, qui secus facturi essent, Rectori indicandis & id genus aliis. Rector, habita deliberatione, leges protēpore necessarias promulgauit, quæ in 3. Tom. Actorum continentur, & de consilio Vniuersitatis ex Doctoribus ac Magistris quinque Capitaneos pro superiorum facultatum studiosis & pro bursis delegit. Et denunciata poena omnibus iñixit, vt dato per campanam signo, vulgo vocant Sturm, quisque, quod pro defensione huius oppidi à Capitaneo suo iuberetur & necessitas ipsa postularet, faceret. Rebus in hoc oppido & in Vniuersitate sic constitutis Dux Fridericus, et si longe inferior numero militum & apparatu bellico: tamen fortiter aggressus est hostes suos, quos dixi, & prope pagum Seckenheim ad Neccarum in campo eos vicit, cepit, Heidelbergam duxit, anno 1461, 1 Iulii, atque aliquanto post sub conditione dimisit. Fuit in hoc conflietu cum Duce Friderico, & cum eius exercitu suum coniunxit Isenbergius. Peracto bello, Fridericus cum alia fecit ad commodum Academiæ, tum etiam illud voluit, vt testamentum patris sui Domini Ludouici de libris Vniuersitati legatis obseruaretur, vtq; ad alium locū magis aptū libri illi transferrentur: de eoq; cum Academia consultauit. Mortuus est fortissimus princeps anno 1476, 12 Decemb. & hic in monasterio Franciscanorum sepultus: ubi etiamnum eius monumentum visitur. Exequiæ ipsi factæ sunt anno.

Natus Ca-
lendis Augu-
sti, anno
1425.

anno 1477, 26 & 27 Ianuarii in Ecclesia regali ad S. Sanctum, præsentib. multis Principibus, Comitibus, & Prælatibus, ac missam cantantibus Abbe Schonauensi & episcopo Wormatiensi. Successit Friderico patruo Philippus, ingenuus qui anno 1477, 2 Ianuarii ab Vniuersitate exceptus, vtq; priuilegia literis ac sigillo suo confirmaret roga-
 tuis, clementer respōdit, & se facturum promisit. Nec multo post, cum per occasionem de principis Friderici patrui
 sui amore erga Academiam studioq; honorifice locutus
 esset, non minori se amore eam prosequi, nec minus de sa-
 lute & incremento eius solicitum fore ostendit. Idem Iura
 Vniuersitatis aduersus Capitulū Ecclesiæ Spirensis defen-
 dit anno 1488. Rogatus etiam de reformatione ac legibus
 à Friderico patruo sanciri cœptis, diligenter in eam rem in-
 cubuit, potestatemq; reformandi Academiam hoc nomi-
 ne sibi vendicauit, quod non solum defensor sed etiam pa-
 tronus & fundator in maiorib. suis esset. Anno porro 1498
Collegium nouum Iureconsultorum, in quo habitarent
 studiosi iuris, & cui duo professores iuris præessent, insti-
 tui omnino volui, ratq; ea de re ad Vniuersitatem serio scri-
 psit. Sequēti anno, nocturno tumultu inter studiosos & e-
 quites, cui etiam Ludouicū ipsius filium interfuisse fama
 fuit, oborto: cum Vniuersitas de iniuria studiosis facta, &
 periculo ac vastitate futura ob minas equitū exposuisset,
 clementer respondit, se ad puniendum fontes paratū esse,
 & tunc ac deinceps, quoties res ita ferat, grauiter eos puni-
 turum, operamq; daturum, vt sius Vniuersitati honor cō-
 stet, neue aut apud alios ea traducatur, aut detrimentū ca-
 piat. Anno 1504, cum à ducibus Bauariæ Alberto & Wolf-
 gango, à Friderico Marchione Brandenburgensi & eius fi-
 liis, à duce Wirtbergensi, à Wilhelmo Hassia Lādgrauio,
 ab Alexandro Comite Palatino, à duce Brunsvicensi & mul-
 tis Comitib. ac nobilib. & à ciuitate Noribergensi bellū ei.

^{7:}
 Philippus,
 Friderici ex
 fratre Lud.
 III Manjua-
 to repos.

O R A T I O.

denunciatum esset (diffidationē seu vliede alioqui vocat) & passim in vicinis locis turbarum plena essent omnia, & ad ipsius perniciē ea res spectate videretur: tum alia fecit, quæ tuendæ regionis suæ causa facere necesse fuit, tum etiam quid ab Vniuersitate & eius membris fieri instantis belli tempore vellet, ostendit. Ac quod ex variis ditionibus hic essent, qui literis operā darent, ut pacata esset regio sua dum ipse bellū gereret, iuramento per Rectōrem eos astringi voluit, quemadmodū à Duce Friderico in simili casu factum esse supra diximus, saluis interim Vniuersitatis iuribus & priuilegiis: ac postea cū de pace tractandum esset, eandem Vniuersitatē adhibuit Annis quatuor post videlicet anno 1508, i Martii mortuus est in Germersheim, & Heidelberg sepultus, cū Remp. bene administrasset, summoq; studio Academiā fouisset ac promouisset. Sed tamen illud quoq; certū, dū ipse Reip. præfuit, barbariē & superstitionē, quæ iam ante hanc Academiā inuaserat, non parū auētam fuisse accreuiſſe. Nā & de suppositione Vocatiui casus, nēpe an Vocatiuus esset suppositū, hoc est, in prædicatione seu propositione, vt hodie loquimur, subiecti loco poneretur, non solū disputationes, sed etiā rixę & bella, præsertim inter studiosos iuuenes mota fuere. Et de cōceptione Marię virginis, quod hęc absq; peccato originis cōcepta & nata sit, aduersus Monachos prædicatores ita Frāciscani & alii in hoc oppido contenderunt, ac si ea in re salutis nostrę prora & puppis esset. Quorū disputationi, anno 1501 de hac ipsa re institutæ, ne interessent studiosi, & princeps Elector Philippus voluit, & de voluntate Principis serio Rector mandauit. Similiter dissidiū Realium & Nominaliū, quod iam ante exortū fnerat, hoc tempore exarsit, atq; in primis bursas disiunxit. cū enim tres bursæ essent, bursa Dionysiana seu pauperū, bursa sucuorū, & bursa noua: hęc ultima Nominalis fuit, cæteræ due Reales, in primis Dionysiana. Ac bursa qui

sa quidē noua, quæ Nominaliū fuit, affixis publice thema-
 tibus, Thomista stultior est omni homine: Thomista, item.
 Realista nō differt à Chimæra &c. maximarū rixarū & cō-
 flictus causa exstitit. Filios Philippus Elector plures reli-
 quit, ex quibus Ludouicus natu maximus, qui postea Paci-
 ficus dicitus est, in Electorali dignitate successit, anno 1508
 Hic initio gubernationis ab Academia rogatus, vt more
 antecessorū priuilegia Vniuersitatis litetis & sigillo suo cō-
 firmaret ac roboraret, atq; eorū se fore defensorē promit-
 teret, nō solū ipse fidē dedit, sed etiā vt Academiæ iurarēt
 Aduocatus der fauth & scultetus, se effecturum promisit,
 anno 1509. Certe semper in id sedulo deinde incubuit, vt
 nō tantū in pristino statu permaneret Vniuersitas, sed etiā
 incrementū caperet: cumq; defectus aliquos animaduer-
 teret, de eis corrigēdis atq; reformatione facienda cū Acade-
 mia serio egit anno 1518, & rursus anno 1521. vbi iuramen-
 tū relaxari omnib. in Vniuersitate voluit, vt de defectibus
 & quę ad incrementū Academię pertinere iudicarēt, libe-
 riū dicerēt: et si Vniuersitas, de relaxatione illa intercessit.
 Sequēti anno cōsensu Vniuersitatis, Reformationē fecit:
 & cōtubernia omnia Vniuersitati incorporauit anno 1523.
 quo Christophorus Comes de Henneberg Academię Re-
 cتور fuit, cū aduersus rusticos seditiosos bellū gerere omni-
 no cogeretur, vt Vniuersitas res suas tuto in arce reponeret.
 p̄misit, & de punctis quibusdā Rectori iuramēto astringi
 omnes, qui Vniuersitati subiecti essent, & toto belli tēpore
 astrictos esse, & certis ducib. ac capitaneis subesse ac pare-
 re voluit, de quibus T. o. 5. Rectorū p. 41 amplius exponitur.
 Erat iā ante cœpta literarū humaniorū repurgatio: ac paula-
 tim profligabatur, q̄ orbē Christianū inuaderat barbaries,
 aliis Hebræā, aliis Græcā, aliis Latinā linguā, aliis has, aliis.
 illas Philosophiæ partes instaurantibus. Secuta est litera-
 rum repugnationem mox doctrinæ cœlestis repurgatio,
 Luthero in saxonia, Zuinglio in Heluetia Euangelii se-

8.
Ludouicus
Pacificus.

mentem faciente, & regnum superstitionum, quibus fasci-
nati animi hominum seruitutem seruierant in Papatu
multo asperiorem & periculosiorem, quam est vlla corpo-
rum seruitus, fulmine veritatis profligante. Vtramque re-
purationem multi passim, prioris barbarie & superstitionis
pertæsi, ac novæ rei atque pulchræ admiratione per-
culsi, auide receperunt. Sed cunctanter initio hæc Academia
& Ecclesia egit, quippe in tenebras superstitionis ita
immersa, vix ut se expedire posset: cunctanter etiam Aula.
Nam de literis quidem humanioribus instaurandis matu-
ram cogitationē atq; curam hæc Academia suscepit, præ-
sertim cum in Academia Tübingensi Iohannem Reuchli-
num ad Hebrææ & Græcę linguæ studia instauranda con-
stitutum esse intellexisset. Anno enim 1521, cum multos
discendarum linguarum cupidos videret, & iacere hic, in
vicinis scholis instaurari studia linguarum, seque rebus sic
stantibus non parum periclitari animaduerteret Collegi-
um philosophicum: de Erasmo Roterodamo vocando V-
niuersitatem orauit. Anno præterea sequenti cum Io-
hanne Oecolampadio qui inde à Philippi Electoris tem-
poribus Heidelbergæ vixerat, de Græca & Latina profes-
sione aëtum est, sed non peractum quod ille liberta-
tem legendi S. Scripturam Hebraice, Græce, & Latine
sibi dari postularet.

Postea vocatus & conductus est ad Latinam professi-
onem Hermannus Buschius, poeta nobilis: ad Græcā pri-
num Simon Grynæus Græce doctissimus, anno 1524, de-
inde Jacobus Micyllus anno 1533: ad Hebræam Sebastia-
nus Munsterus ordinis Minorū, anno 1524: vt eodē tēpore
tres essent trium linguarū Latinæ, Græcę, & Hebraicę exi-
mii Professores. At in reformatione Religionis, vt aula, sic
etiam Academia suo officio defuit: cum ad se deriuare no-
uam illam lucē doctrinæ cœlestis, singulari Dei gratia iam
tum

tum accensam, alia Ecclesiæ & scholæ, præsertim in Germania, passim studerent. Mortuus est hic Ludouicus Elector anno 1544. 16. Martii, cum Reip. & vniuersitatis huius commodum promouere sedulo studuisse. Etsi enim doctrinæ Euangelii affulgenti ditionem suam & vniuersitatem clausit: tamen vt priuilegia defenderet & studia literarum proueheret, operam dedit. Sepultus est 19. Martii inchoro regali Ecclesiæ ad S. Sanctum iuxta maiores suos: ac die 30. post pro veteri consuetudine ipsi factæ sunt exsequiæ.

Successorem habuit, quod filios hæredes nullos relinqueret, Fridericum fratrem: cui de noui muneriis functione gratulata vniuersitas, vt priuilegia ab eo confirmarentur, & Aduocatus atque Scultetus Academiæ iuramentum visitatum prestatre iuberentur, exhibito libello supplice petiit. Qui se id facturum clementer promisit: Et vt suum erga vniuersitatem fauorem amplius declararet, & quanto pere gloria & incremento vniuersitatis delectaretur, ostenderet, iussit, vt defectus & grauamina, si qua haberet vniuersitas, indicaret, ac suam operam & patrocinium vicissim pollicitus est. Tum vt vniuersitas, quæ deflorescere quadantenus videbatur, pristino flori ad decus & ornamentum nobilitatis, & ad Palatinatus atque aliarum regionum emolumendum: vtque studia linguarum, artium, Theologiæ, iurisprudentiæ & Medicinæ diligentius concilarentur, de quibusdam ad eam rem necessariis cum vniuersitate communicauit, atque eius iudicium requisivit, seque facturum, non vt stipendiis possessores, sed vniuersitati essent professores, significauit. Ne iniuria aut contumelia studiosos afficerent, neve lacefferent ministri aulici, edixit: Bursam realium & duodecim præbendas vniuersitati incorporauit: De pedagogio instituendo in bursa Sueorum vehementer laborauit: Collegium Sapientiæ insti-

Fridericus II

D

*Concessit
quog. tunc
Papa pro au-
toritate, quā
se in Acade-
miam habe
reputabat,
vi summum
magistratiū
in Acade-
mia gererent
etiam coniu-
gati, quo an-
te a cœlibes
tantum fun-
gi solebant:
præterea ut
ad professio-
nes, sola The-
ologica ex-
cepta, admit-
terentur etiā
persona Lai-
ca, si idonea
esse videren-
tur.*

*10.
Octo Henrī
ms.*

*11.
Fridericus:
Ms.*

tuit anno 51, & vna cum aliis quibusdam monasteriis & Collegiis Vniuersitati concessit & incorporauit, quum à Paulo III & eius successore Julio III facultatem impetrasset, & vt 60 vel 80 adolescētes ex illius Augusti: & reliquo- rum monasteriorum bonis sustentarentur, sanciuit. Tradi- tio Decano facultatis artium & duobus senioribus secun- dum bullam pontif. facta est: Domui Dionysianæ seu bur- sæ pauperum 30 malteros siliginis annuos donauit anno 1549: Fiscum nouum in vniuersitate erexit: De reforma- tione vniuersitatis generali consultauit, anno 51. Quam ta- men consultationem primo bellum à Mauritio Saxone & Alberto Marchione aduersus Cæsarem gestum: deinde mors ipsius impediuit. Mortuus est Alceæ anno 1556 die 26 Februarii, atque hic sepultus in Ecclesia ad Spiritum Sanctum. Dignus profecto princeps, cuius cura & solici- tudo erga literarum studia nunquam non memoria no- stra conseruetur, vñain re Academiam felicem minus relinquens, quod ab hac Romanum Pontificem adhuc agnoscí anno 49, & processionib. in Festo corporis Chri- sti cum deuotione studiosos interesse voluit, atque secus faciētes grauiter multauit. Sed hanc religionis instauratio nē futuris Electoribus diuina Prouidentia reseruabat, Ot- toni Henrico, Friderico Tertio, & aliis: qui postea tanto ve- hementius in eam rem incubuerunt, quanto diutius hæc antea dilata fuerat. Quamobrem sero quidem si alias Aca- demias spectes, sero inquā hæc Academia doctrinam Eu- angelii est amplexa, sed tarditatem illam zeli studiisq; ve- hementia compensauit. De qua re nunc nobis dicendum erat: dicendum de Ottone Henrico, qui anno 1556 Friderico secundo successit: dicendum de Friderico tertio, qui anno 1559 Ottoni Henrico successit. De quo illud in A- Etis Vniuersitatis scriptum inuenitur: Anno 1576, die 26 Octo-

Octobris obiit Fridericus III Com. Pal. Elector, Religio-
nis repurgatæ propugnator & defensor acerrimus, patro-
nus & asylum exulum Christi: Cuius pietatem, fortitudi-
nem, & constantiam posteritas nostra admirabitur & ce-
lebrabit, magis quam ætas nostra plus satis ingrata. Dicen-
dum etiam de Ludouico, qui anno 1576 Friderico III pa-
tri successit.

Nam de illustrissimis principibus & Dominis, Domi-
no Iohanne Casimiro Electoris Palatinatus Administrato-
re, & Domino Friderico Electoralis Palatinatus hærede &
Academiæ huius Rectore, cum res ipsa ferme quotidie lo-
quatur & aperte testetur, quid attinet dicere? Sed cum nec
tempus ad dicendum supersit, nec de illis breuiter dici pos-
sit: alium diem, aliam horam ista oratio postulat. De supe-
rioribus Electoribus speciatim dixi, partim quia temporis
diuturnitas aliquam eorum obliuionem induxit, partim
quia paulo breuius de eis dici potuit.

Nunc ad alteram partem me conuertam orationis, &
vt æquum est, de fundata ante 200 annos & haec tenus con-
seruata hac Academia vobiscum Deo gratias agam, & vt
is deinceps cādem, hoc præsertim periculoſo tempore, quo
regna omnia passim commouentur & nutant, clementer
& potenter conseruet, orabo. In his deinceps nostra ver-
sabitur oratio: in his præcipue Iubileus noster erit: his diē
hunc solennem æquum est nos tribuere.

Bonitatem igitur & gratiam Dei in fundanda conser-
uandaque tot annis hac Academia audiuitis: Principum
Electorum studium, operam, & munificentiam ab ini-
tio ad hoc usque tempus audistis: vt omnes, nullo excepto
dilexerint, fouerint, defendent hanc Academiam, &
vt vincere alias alium beneficentia studuerit, audistis.
Bonitas & gratia Dei, ad Electorum animos exci-
tandos, & ad tantum decus huic regioni atque orna-

mentum tribuendum, & inter tot pericula tamdiu conseruandum, hic singularis.

Studium, opera, & munificentia principum Electorum nunc ab annis 200. ad tantum decus à Deo collatum atque ornamentum promouendum & propagandū, plane heroica.

Vtilitas & fructus hictantus, vt nemo cogitatione affequi, nedum verbis enarrare possit. Sensit hunc Aula, sensit hæc ciuitas, senserunt cæteræ huius regionis vrbes atq; pagi, sensit denique tota Germania, neque Germania tantum, sed etiam exteræ nationes, & adhuc sentient.

Quid igitur superest, nisi vt tam præclarum Dei opus, tantumque huius regionis & vrbis huius decus ante oculos ponamus, & sic intueamur, sic in eo versemur, vt & hoc tempore & deinceps corda nostra in lætitiam Deo gratiam & ora in laudes ipsi debitas resoluamus.

Gratiam memoriam fundatæ conseruatæque Academiæ maiores nostri Deo debuerunt: debemus & nos, sed multo magis quam illi. Nam illius fluxus gratiæ & beneficii huius & breuior fuit & ferme tenuior, quia cum luce doctrinæ diuinæ & humanæ caligo, id est barbaries & superstitionis commixta fuit. Nunc autem & longior est fluxus gratiæ Dei, & multo vberior atque copiosior. Nam & ab annis 200. nunc ad nos manauit ista gratia, & se hoc postremo tempore in literarum diuinarum & humanarum repurgatione, quæ in hac Academia et si serò, tamen ita facta est, vt nulli alii cedere videatur, latè extendit. Itaque quanto maior est gratia Dei, quæ nobis contigit, tanto magis nos agnoscere eam & celebrare decet.

Agite igitur, vt Israelitæ in suo Iubilæo liberationis ex Ægyptia seruitute memoriam recolebant: sic nos hodie fundatæ institutæque ante annos 200. Academiæ huius, & liberationis ex barbarie & tenebris superstitionis, quæ postea

postea contigit, memoriam grati celebremus.

Considerate cum animis vestris beneficia Dei, quod instituerit hanc Academiam, quod haetenus conseruarit, quod hoc postremo tempore repurgarit, & in ea lucē doctrinæ diuinæ & humanæ accenderit. Considerate, quod vos, Illustrissimi principes, eam sic repurgatam florētemq; intueri voluerit: quod vos, Doctores & professores clarissimi, in ea sic repurgata tanquā in honesta & laudabili statione collocarit: quod vobis, lectissimi iuuenes, sic repurgatam tanquam officinam literarum instructissimam aperuerit atque etiamnum aperiat: & non solum vosmet omnes ad amorem Dei atque laudes excitate, sed etiam alios ad idem studium inuitate. Hoc illud est studium, hoc officium, hoc obsequiū, quod pro isto beneficio sibi vicissim à vobis reddi Deus postulat: hoc est quod remuneratur. Hoc si ipsi, vt par est, præstiterimus, non solum hoc quod accepimus beneficium, conseruabimus, sed etiam ad noua danda ipsum prouocabimus. Nam gratitudo custos est accepti beneficii: & gratiarū actio ad nouum beneficium dandum est inuitatio. Obliuio autem & expellit quæ adfunt beneficia, & quæ adesse possent repellit. Neque enim ferre Deus obliuionem & contemptum beneficiorū suorum potest, sed grauiter vlciscitur atque punit. Quamobrem si vobis sancta est voluntas Dei, si chara vtilitas vestra, si experiri benedictionem potius quam maledictionem, & à pœna immunes atq; liberi esse vultis, hanc cogitationem curamq; mecum suscipite, & quod vult Deus, & quod nobis vtile atque salutare est, mecum præstate.

Te igitur, æterne Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, benefactorem nostrum, te autorem & conseruatorem huius inclytæ Academix, in qua iam versamur, agnoscimus & palam profitemur: te vero amore atque honore vivissim prosequimur, & tibi studium atque obsequium no-

D 3

strum imo nos totos addicimus & consecramus: Tibi sit laus & gloria in secula. Amen.

Cogitate etiam, Auditores, consilium, studium, operamque principum Electorum: Considerate, quanta prudentia hanc scholam aperuerint, quanto zelo atque fauore inde ab initio prosecuti sint: & debitam laudem vi- cissim tribuite.

Et quia nec stare deinceps, nec florere aut fructum ferre hæc Academia sine Dei beneficio & munere potest, iterum ad Deum configiamus, & pro incolumitate eius supplices oremus.

Te igitur, æterne Deus ardentibus votis oramus, vt hanc Academiam, ornamentum Palatinatus, domicilium & perfugium Orthodoxorum, & nobilissimum literarum Emporium deinceps protegas & defendas: vt studiis do- centium & discentium benedicas, tranquillitatem largia- ris: vt Illustrissimos principes nostros & Dominos, Domi- num Iohannem Casimirum, & Dominum Fridericum, qui iam hic adesse & nobiscum fundationē & conserua- nem huius Academiæ memoria repetere voluerunt, & quorum opera ad tuendam hanc Academiam vteris, diu saluos & incolumes conserues: vt arceas ab illis & à nobis domesticos & exterios hostes, & truculenta eorum consilia dissipes.

Vos autem, Illustrissimi principes, hæc Academiam à maioribus vestris iam olim Dei beneficio fundatam & hucusq; conseruata, vt hactenus fecistis, deinceps amore ac fauore prosequimini, & commoda eius procurate.

Extruant alii palatia, pyramides, colosso, vrbes, ar- ces: vos Ecclesias, scholas, collegia ædificate, doctrinam Euangeli promouete. Hac laude nulla maior esse potest: hæc sola perpetuo manet nec extingui potest, vt laudes aliae omnes pereant: hac deniq; Fridericus III pater & au-

uus

O R A T I O.

34

uus vester præcipue floruit atq; etiamnum floret.

Dixi de origine & progressu huius Academiæ, id est,
de beneficiis Dei & amore ac studio Electorum erga hanc
Academiam: subieci gratiarum actionem beneficiis con-
uenientem ac preces. Vestrum est, beneficia illa atque
studium gratis animis semper agnoscere atque præ-
dicare. Quod in vobis Deus pater propter
Christum filium per Spiritum San-
ctum vtinam faciat.

Amen.

F I N I S.



32

25

110B





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-601380-p0037-5

DFG

Gb 1166.

ULB Halle
004 343 867

3



VDMZ m. Ü.






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-601380-p0040-1

DFG



1
SOHNII,
IEOLOGIÆ
PROFESSORIS,

storica,

tione LAUDATISSIMA
IDELBERGENSIS,

cis typis descripta.



O V I A.

Claudium Marnium &
nis Aubrii.

V I L